



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Acolythatus, paragr. 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

2. Eius materia remota est liber continens Sacras Lectiones, id est, Epistolas, & Prophetias. Proxima est ejusdem libri traditio. Forma. *Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter, & viriliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio bene ministraverunt.*

3. Munus ergo Lectoris est legere prædictas Prophetias, & sacras Scripturas, etiam Evangelium, sed extra Missam, nam, in hac, est officium respectivè Subdiaconi, & Diaconi. Item ejusdem Lectoris est munus, Catechumenis baptizandis fidei rudimenta tradere. Olim panes, & fructus novos Lector benedicebat, minori tamen solemnitate, quam ea, quæ convenit ordinatis in Sacris, ut notat Gaspar a Hurtadus, verum hodiè id abrogatum esse, Marchinus b testatur.

a G. Hurt.
lo. cit.
b March.
de Ord.
tra. 2. p. 3.
cap. 3.

§. IV.

Exorcistatus.

1. **E**ST Ordo Ecclesiasticus conferens potestatem imponendi manus super energumenos, legendique exorcismos, ad Demones fugandos.

2. Materia ejus remota est liber Exorcismorum, Proxima ejusdem libri traditio; Forma. *Accipe, & commenda memoria, & habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos.*

3. Eius ergo officium est manus imponere super Energumenos, atque exorcismos legere; Olim Exorcista edicebat Populo, ut, qui non communicant, darent locum aliis communicaturis, & aquam qua in ministerio Baptismi utitur erat Baptizans, infundebat, sed hodiè hæc, ipso non usu, abrogata esse, idem ibidem notat Marchinus.

§. V.

Acolythatus.

1. **E**ST Ordo Ecclesiasticus, quo datur potestas accendendi lumina, cereumq; accensum transferendi ad altare, & porrigendi Subdiacono Urceolos, pro Sacro Ministerio.

2. Materia remota hujus Ordinis est duplex, altera, est candelabrum cum cereo extincto, altera, sunt Urceoli vacui. Horum

traditio est materia proxima. Notatque Bonacina e satis esse, si unus Urceolus tangatur ab ordinando: Forma item duplex est. Altera. *Accipe, Cerojerarium cum Cereis, ut, cias, te ad accendenda Ecclesie lumina mancipari in nomine Domini.* Altera. *Accipe Urceolos, ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.*

3. Circa quæ, duplex est sententia, alii d affirmant Priorem, alii e Posteriorem, alii f utramque simul esse materiam, & formam adæquatam hujus Ordinis, & per ipsas imprimi Characterem. Omnes probabiliter.

4. Officium ergo Acolythi est præparare lumina ad Sacrificium, Cereum, ubi est legendum Evangelium, ferre: Diacono, & Subdiacono infervere, (nam inde dicitur Acolythus, latinè pedisequus) Aquam, & vinum in Urceolis ministrare, eisdemque vino, & aqua plenas eidem Subdiacono porrigere.

Acolythum immo, & ceteros quocumque Ordine, quamvis Minori, insignitos, immo & solum Tonfuratos posse licitè tangere vascula sacra, sed in quibus non sit Sanctissima Eucharistia g alibi docuimus.

§. VI.

Aliquot quaestiones de initiatis Tonfura, & Minoribus.

AN, HI, CUM INITIANTUR, Obligentur Sacram Eucharistiam sumere, & quid de aliis?

1. **P**rima Tonfura, & Minoribus initiatis, eo die, quo initiantur, obligantur, ne, Sacram Communionem suscipere, & per hanc occasionem, quid de aliis in Sacris?

2. Respondeo tribus dictis. Dico, Primò, Tonfura, & Minoribus initiatos non obligari. Primò, quia non adest Textus ad id obligans. Secundò, quia aliqua Rubrica sit fortè disponens, nullum indicat præceptum, unde solum continet consilium. Tertiò, Praxis idem persuadet, quando scilicet hi ordines conferuntur à Prædico.

3. Dico, Secundò, idem affirmari debere de Subdiaconatu, & Diaconatu propter duas priores rationes proximè dictas, semper sup-